

3205

SYNODICI.

3206

DCCCCLXI.

⁴¹³ Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 8. 4. luculente scriptus et rubricis distinctus est Residuum cujusdam *Collectionis* e *Pontificum Decretis*, *Distis PP.* et *Canonibus Conciliorum* factae, quae modo incipit ab *Epistola Clementis I.* prout legitur ordine *Quinta T. I. Concc. Labb.* edit. *Venet. col. 115. de Comuni Vita.* Sed nobis ita terminatur: *Et quicumque uestrum communem uitam susceptam habet. et nouit se nichil proprium habere! uideat ne pollicitationem suam irritam faciat. sed hoc quod domino est pollicitus fideliter custodiat. ne dampnationem sed premium sibi adquirat. quoniam satius est non uouere quam uotum prout melius potest non perficere.* Hinc succedit *Decretum Leonis.* *Leo episcopus seruus seruorum dei omnibus episcopis. In die resurrectionis usque in sabbatum in albis &c.* Agit de *Ordinatione Psalmorum* et *Lectionum* in officio ecclesiastico. Videtur is *Leo VII.* nam sub finem dicitur: *Romani autem diuerso modo agere ceperunt. maxime a tempore quo teutonicis concessum est regimen nostre ecclesie.* Sequitur *Gelasii I.* *Decretum* ex *Conc. Romano* de *Lectione Librorum V.* et *N. T.* in officio ecclesiastico, quod extat apud *Gratian.* *Dist. XV.* sed nobis incipit: *Gelasius. pp. cum LXX. eruditissimis episcopis ordinauit quando et quo tempore libri ueteris et noui testamenti legendi sint.* In *LXX.* (Septuagesima) po-

nunt *eptaticum* (*Pentateuchum* cum *Josue* et *Jud.*) &c. Reliqua breviora sunt *Pontificum Clementis, Pelagii, Vigoris, Leonis, Telesphori, Sixti, Innocentii, Siricii, Urbani, Soteris* et *Nicolai, Patrum Origenis, Gregorii, Augustini, Hieronymi* et *Isidori, Canonum Apostolic.* et *Conciliorum Eliberit. Tolet. Nicaeni, Carthag. Afric. Magunt. Meldens. Rhem. Chalced. Laudun. Eduens.* et, quod erronee scriptum videtur, *Hamnentensis*, cujus citatur *Cap. VIII.* in haec verba: *Sicut enim episcopus non plus potest habere quam unam ciuitatem. et uir unam uxorem. ita presbiter unam tantum ecclesiam. Itaque nullus presbiter plures presumat habere ecclesias. si de statu suo gaudere desiderat.* Non occurrit mihi similis sententia, nisi in *Capitulis Herardi Turon. c. 49.* Vide *T. X. Concc. Labb.* edit. *Venet. col. 63.* Nullus porro in brevioribus his *Decretis* *materiarum* ordo est.

DCCCCLXII.

Codex chartaceus lat. germ. ⁵⁴⁹ Sec. XV. Folior. 496. 4. a Diuersis currente calamo exaratus et olim *Monasterij Vallis omnium sanctorum in Maurbach Ord. Carthusien prope Wiennam in Austria* *Varia* sequenti complectitur serie: I. *Tractatum ἀνεπιγχαφον* de *Autoritate Ecclesiae* et *Conciliorum*, qui constat *Capp. XXVI.* prolixoque *Epilogo*, quo *Dicta* sub uno conspectu collocantur. *Capitis I.* *Inscriptio* *miniata* et *initium*